



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Io. Baptistæ Portæ Neapolitani Magiæ Naturalis Libri
Viginti**

Della Porta, Giambattista

Frankfurt, 1607

Quomodo quibusdam misturis ferrum durissime temperetur. Cap. IV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70772)

ferro repurgatum, leuiter calefacimus, & malleo percussimus, vt in cultrum efformemus, mox lima querimus, & in cultri formam accommodamus, rotaq; perpolimus, tandem igni imponimus, vsque donec violæ color appareat: sapone perlinitur, vt cōspectius color ex igne cognoscatur, tunc ab igne amotum linteo oliuæ oleo madido perlinitur, vsque donec refrigeret, sic chalybis duritiem olei, & paucae excalescentionis blanditie delinimus. Paulo ab hac diuersa erit

Ferri temperatura pro ligno.

Paulo durior temperatura erit pro ligno incidendo, sed etiam blanda, ideo ferrum ad eundem violæ colorem deueniat, & tunc mergatur aquis, detrahatur, & vbi cineritius aduenerit, proijciatur in aquā frigidam. Non admodum diuersa temperatura

Ferrum pro phlebotomia.

In oleo restringitur, & durum euadit, quia delicatum, & subtile si in aquis extingueretur, distorqueretur, & rumpetur

Ferri temperatura pro falce herbaria.

Post ferri in falcem cōcinnationem, excandescat in auri colorem, & tunc oleo mergatur, vel sepo perungatur, quia subtile ferrum est, & si aquis extinguitur, aut friatur, aut contorquetur.

Quomodo quibusdam misturis ferrum durissime temperetur. CAP. IV.

Nunc quasdam res demonstrabimus, quarum proprietas erit ferrum durissimum reddere: nam ferrum illud, quo pro instrumento vtendum erit ad aliud ferrum malleandum, perpoliendum, & accommodandum, multo eo valentius esse est opus, vnde declaranda

Ferri temperatura pro limis.

Nam ex perfectissimo chalybe oportet fit, optime quoque & acriter temperatum, vt aliud recte expoliat, & concinnet. Sumantur vngulæ bouum, & furno ad exiccandum indantur, vt in puluerem rite verti possint, cuius

pars cum tantundem salis communis, vitri cōfracti, & fuliginis camini optime remisceatur, conteranturque, ac ligneo vase fumo suspenso recondito ad vsum, nam sal quauis aeris, aut loci humiditate liquefit: parato puluere, cōcinnetur ferrum in limæ formam, mox cancellatim, decussatimq; acuta scalpri acie incidito, dum ferrum tenerum, ac molle reddideris, vt diximus, mox arcula ferrea efficiatur, quæ condendis limis sufficiat, limæ intus condantur, vicissim pulueribus insparis, vt vndiq; immersæ sint, inde cooperculum inditur, & fissuræ luto paleato obducuntur, ne pulueris fumus exhalet, & succensis carbonibus cumuletur, vt per horâ plus minus conflaret, vbi absumptum, combustumq; puluerem conieceris, exime è carbonibus, ferreis forficibus, arculam, & limæ in aquam frigidissimam mergatur, & sic vehementissime durefcunt. Hæc vsitata est limæ temperatura, quia non timemus, si lima aquis frigidis distorqueatur. Nos autem ita optime

Alio modo temperare

docebimus. Ex hircorum cornibus detrahatur medulla, desicceatur, & in puluerem conuertatur, inde limas in arcula cōditas cū hoc puluere insperfas recōde, & idem opus exequere. Hoc tamen addendum, vt duæ limæ addantur supernumerariæ, eo artificio, vt extrahi ex arcula possint ad libitum, postquam vero tumulatam carbonibus arculam pulueris vim hauisse putabis, extrahere vnâ ex supernumerarijs, eamq; temperato, & frangito, & si optime intus vndiq; granulatum, & purum chalybem inueneris, & ex voto successisse, amoue ab igne arculam, eodemq; modo temperato, sin minus diutius immorari sinito, & aliqua intermissa morula, ex supernumeraria alia experimentum cape, vsque dum perfectissimam habeas. Eodem modo poterimus

Cultros durissime temperare,

Accipito recentem bouis vngulam, eam calefacies, & malleo ex latere percuties, nam resiliet foris medulla, furno resicceatur, & vt diximus, accommodentur in ollula, semper duos supernumerarios addēdo, qui eximi possint,

possint, experimentum capiendõ optimæ versionis in chalybem, & eandem opem impendendo durissimi fiunt. Docebimus

Lorica quomodo temperari debeat.

Requirito lorica ferream mollem, & vilis pretij, quæ in ollam indatur, vicissim sparsis pulveribus supra memoratis, & operculatæ, & superlutatæ, ne exipiet, sufficientem adhibeas ignem, mox suo tempore ollam ferreis forcibus apprehendito, & malleo olla percussa, ignitam totam lorica in aqua prænarata extingues: nam ita durissima efficitur, vt facile pugionum ictibus obstat. Mensura pulueris erit, si lorica decem, aut duodecim libras æquabit, duas, & dimidiam libras pulueris appone. Vt vndique adhæreat puluis, mædefacito lorica aqua, mox in puluerẽ reuolues, & alterna stratura in ollam accommoda. At quia durissima effecta est, ne vehementi ictu frangatur annuli, & in partes dissiliant, oportet duritiei neruũ addere, operarij *reuenire* dicunt. Ex aqua exempta in dolio exagitetur ex aceto, vt poliatur, & color perspici possit. Inde lata lamina ferrea igniatur, & lorice pars, vel tota supra distendatur: vbi color cineritius, operarij *beretinum* dicunt, apparuerit, denuo in aquam proiecto, & retunditur ea durities, & facilius ictui cedit, & sic ex vilissima lorica omni ictui repugnantem habebis. Acrium temperatura durities ferro conciliatur, & cum eo fragilitas, sed nisi neruus addatur, leui ictu in partes dissilit, ob id necessariũ est, vt neruum conciliare perfectissimè addiscant.

Liquores ferrum durissimè temperantes. CAP. V.

DIXIMVS antipathia ferrum cõstringi, sympathia dilatari, pinguium amico cõsortio fruitur, & aperiantur pori, vnde mollicies, contra, astringentia, frigidaq; constipantia poros, inimica contrarietate durissimum reddunt, ob id facere videntur, non omittendo tamen, quæ sui proprietate id agant. Si optaretur

Serram temperare, quæ ferrum secet.

Serra ex optimo chalybe fiat, & suo armamento accom-